

## **De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiæ, 1632**

7 Quousque diuinatio ex aliis signis, ad secundam speciem pertinentibus,  
vt ex motu, volatu, vocibus auium, vel aliorum animalium aut hominum  
capi pōbit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](#)

dixerint esse probabile aut verisimile: quia cùm reuerà nihil tale ex altris colligi possit, omnis talis prædictio referenda est ad disciplinam malignorum spirituum, & occultam eorum societatem. Et sanè perniciosum est, putare regulas illas esse probabiles, cùm eadem sc̄rē incommoda sequantur: & ipsi astrologi, quos Ecclesia damnat, t̄pē non plus dicant. taent enim suas prædictiones non esse semper certas, & posse interdum aliter evenire, nihilominus merito rei ciuntur tamquam impostores, & occulta commercia cum diabolo habentes, fallaciq̄ eius disciplina dedit. Si verd̄ solū in genere prouinent, ita vt probabilis ratio reddi possit ex atate, dispositione corporis, temperamento, consuetudine vita, aut aëris affectione, quæ ex fidetur concursu vel aspectu proueniat; non sunt condemnandi.

Petes, Vnde ergo fit vt astrologi interdum etiam in particulari vera prædicant?  
Respondeo, Id fieri ex quatuor vel quinque causis; vt colligi potest ex D. Augustino lib. de diuinat. dæmoni cap. 3. & habetur cap. Sciendum. 26. q. 4. & lib. 2. de Genesi ad litteram, cap. 17. Primo, Id fit ex eo, quod dæmon s̄pē procuret quod prædictum est, vt pestiferam artem commendet. vnde maximè illi cauendi qui s̄p̄ius vera dicunt, vt monet idem Augustinus lib. 2. de Gen. cap. 17. quia certius est illos cum dæmon habere commercium. Secundo, Quia interdum casu ita accidit, vt idem docet lib. 7. confess. c. 6. Tertio, Quia animus hominis, cui bona denuntiantur, excitatur ad audendum, omniaque tentanda vt assequatur; persuadet enim sibi fauorem cali & numinis se habere: & è contrario cui mala, deicur in desperationem, putans numen sibi esse aduersum; & sic mirum non est si vt r̄ique quod prædictum est obueniat. sic exercitus s̄p̄ie vicerunt & victi sunt. Quartò, Quia res s̄p̄ie ex aliis circumstantiis sagaci ingenio conici potest. Quintò, Quia s̄p̄e dæmon suggesti sibi nota, præteritum cum hoc genus hominum plerumque expressum cum illo paetum & commercium habeat, vt docet D. Augustin. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 17. in fine. His ade, eos multò s̄p̄ius falsa prædicere quam vera, sed illa non notari: imo Phavorinus apud Gelium lib. 14. cap. 1. sit, partem millesimam eorum, quæ quotidie prædicunt, veram non esse. Vide de eadem re Ciceronem lib. 2. de Diuinatione, vbi dicit: Promiserunt astrologi Pompeio, Crasso, & Cesari latissima omnia: non nisi iam fenes domi cum summa gloria morituros: ar quisque eorum infeliciteter & immature perierit.

## D V B I T A T I O VII.

Quousque diuinitatio ex aliis signis, ad secundam speciem pertinetibus, vt ex motu, volatu, vocibus animalium, vel aliorum animalium, aut hominum capi possit.

D. Thom. art. 1.

44  
Quoniam  
hac signa  
sufficiant  
sunt. N otandum est Primo, Hæc signa non posse inspici tamquam causas eventuum futurorum, (neque enim villus vñquam haruspex aut chiromanticus ita illa accepit aut intellexit) &

multò minùs tamquam effectus illorum evenientium, cùm præcedant illos. Itaque considerantur vt signa instituta & directa ab eadem causa, à qua eventus illi vel efficienter proueniunt, vel faltem vt res futuræ, prævisi sunt: quo modo Origenes dicebat, aspectus fidetur, futuros eventus præsignare.

Notandum Secundo, Hæc signa posse prouenire vel à sola causa naturali, vel ex peculiari directione diuina, vel procreatione dæmonis. His positis,

Dico Primo, Licitum est ex huiusmodi signis prædicere omnes eventus, qui per illa, vt à causa <sup>45</sup> naturali proueniunt, significari possunt; seu illos <sup>illis ut ut</sup> eventus, qui ab eadem causa naturali sequi solent. <sup>signis naturalibus.</sup> Sic ex volatu avium aut cantu prædicti possunt tempestates, venti, pluiae, serenitates, de quibus multa rei rustica Scriptores, & Virgilii in Georgicis, & Aratus in Phænomenis, versus finem. hi <sup>Quoniam</sup> enim motus in aubus & aliis animalibus ex eo <sup>co</sup> <sup>motus &</sup> <sup>cantus</sup> proueniunt, quod dum mutatio aurae ingruit, <sup>animum sit</sup> <sup>signum tempestatis.</sup>

Vertuntur species animalium, & pectora morus. Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat

Concipiunt. hinc ille anium concentus in agris; vt ait Virgilii, mutatio enim aëris afficit corpora anium, vel cerebrum aut spiritus animales, quam affectionem occulta nature consensu phantasia statim percipit, & per modum conuenientis aut disconuenientis apprehendit, & exterrit volatu vel voce significat: homines non ita præsentient ista, tum quia phantasia aliis est intenta; non enim gubernatur à rebus externis in homine vt in bestiis, sed à ratione & libera voluntate: tum quia insita non est hominibus (nisi forte ratione morbi, debilitate partis, aut peculiaris temperamenti) occulta illa & peculiaris sympathia cù mutatione cali, quam videmus in variis animalibus. Fatui tamen & stupidi, quia brutis affines, & sensibus non ratione reguntur, magis diuinant de rebus naturalibus quam prudentes; & dormientes magis quam vigilantes; & morti propinqui (nisi forte doloribus vel stupore sensuum impedianter) magis quam sani: partim quia corpora faciliter afficiuntur externis mutationibus, partim quia phantasia faciliter percipit.

Huc etiam pertinent coniectura Medicorum de tempore, inclinationibus, ingenio, valitudine, longa brevi que vita; quas ex habitu corporis, ex conformatione vultus & figura membrorum, ex colore & similibus capiunt. Item prædictiones illorum de morbis, morte, fanitate, crisi bona vel mala; ex pulsu, colore, sudore, aliisque naturæ excretionibus, suppressionibus, motibus, conturbationibus, & aliis signis, de quibus Hippocrates in Coicis; & Galenus opificulo de Crisibus, & aliis locis.

Dico Secundo, Quando certum est vel probabile, aliqua signa prouenire à Deo, vel singulari eius prouidentia dirigiri ad aliquid præsignandum, (quod tamen perratum est) non est illicitum aliquam ex illis prædictionem capere de enentibus liberis. Sic columba deferens ramum olivæ virentibus foliis, erat signum, placatum esse Dominum, & aquas diluui exhausters, Genef. 8. Sic iris est signum non amplius delendi mundi per aquas, Genef. 9. Verbum Rebeccæ, Bibe domine mi, quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibiant, erat signum ipsam fore vxorem Isaac, Gen. 24. id enim pro signo petierat Eliézer famulus Abrahæ.

Sic

Sic narratio somni de pane subcinericio, Iudic. 7. erat signum Gedeoni caedendorum hostium: & verba illa Philistinorum, 1. Reg. 14. *Ascendite ad nos*, erant signum Ionathae, ipsos fore caedendos: Deus enim haec ita dirigebat & instituebat ut talia significant, idque occulta inspiratione iis, qui inde omen caperent, significabat.

<sup>47</sup>  
Si non dirigantur a  
Deo.

Ratio, cur  
sit super  
stitio.

Dico Tertio, Si non constet, vel non sit probabile, huiusmodi ex peculiari Dei prouidentia ad certum euentum liberum praesignandum destinari, perfidio est ex talibus diuinationem capere. Itaque superstitione est, ex volatu, garris, situ, numero anii aut aliorum animalium, ex lineamentis manus, vel aliarum partium corporis, secundum regulas augurum & chiromanticorum, de futuris a causa libera pendentibus pronuntiare. Exempla complura vide apud Valerium Maximum lib.1.cap.4.5.6.

Ratio est, quia signa ista non significant illos euentus naturali modo, cum neque sint illorum causae, neque illorum effectus, neque una cum illis ab aliqua communi causa pendeant: neque ex directione peculiari diuinae prouidentiae; tum quia plerumque sunt fallacia; tum quia sic potius a viris sanctis obseruerantur quam a magis & incantatoribus: ergo significant illos euentus ex directione & institutione demonis, qui huiusmodi signa instituit, & euentum, quem praesignari volunt, interdum procurat, ut mentes hominum superstitutione & curiositate implicatas, quocumque lubet, impellat. Confirmat id D. Augustinus lib.2. doct. Christ. cap.24. ex augurum ritu, qui, ut ipse ait, & antequam obseruerit, & posca quam obsernata, signa tenuerint, id agunt ne videant volatus, vel auariant voces animalium; quod est evidens argumentum, haec nihil valere nisi ex demonium pacto.

Itaque qui ex talibus diuinitat, Primo, Se subiicit disciplinae diaboli, viens regulis ab ipso traditis, tacitumque cum illo commercium habet. Deinde, Attribuit illi futurorum liberorum prænotionem, quae Deo solum propria. Tertio, Tacitè illum invocat ut procuret quod prædictum est, ne ars fallere videatur. Huc pertinent omnia, quae dubit, s. num. 37. dicta sunt ex D. August. lib.2. de doct. Christ. cap. 23. & 24. Fieri tamen potest ut solum sit veniale peccatum; ut si homo cogiter, in hoc vel illo casu fieri posse ut talia signa sint a Deo ad aliquid ipsi insinuandum directa; & id est aliquid faciat vel omittat ut sibi caueat vel consulat in omnem euentum: modò id per se licitum sit. hoc modo feminæ & homines parui iudicij huiusmodi signa obseruare solent, & actiones suas ex illis moderari.

Quod interdum vera ex huiusmodi prædicatur, prouenit ex iisdem causis, ex quibus suprà n. 43. Astrologos atque quando verum diuinate diximus. Vide exempla quadam huc spectantia apud Valerium Maximum locis suprà notatis.

Interdum  
est peccatum  
veniale.

<sup>48</sup>  
Obiectio.

Resp.

Obiectio lob. 37. *Qui in manu omnium hominum signat*, ut singuli noverint opera sua. vbi videtur commendari chiromantia; & Gen. 44. Ioseph dicit fratribus, *An ignoratis quod non sit simulus mei in augurandi scientia?* & aconomus eius, *Scyphus*, quem furauit estis; ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet: ergo Iosephus fuit augur, vel faltem videri voluit; non voluisse autem vir tam sanctus & sapiens talis esse vel videri, si id malum fuisset.

Respondeo, Illa sententia ex lib. Iob adducta

iuxta Lyranum & D. Thomam significari, Deum imprimere varias inclinations ad varia opera, in potentia operativa, vel in phantasia cuiusque, ut singuli norint quid sibi congruat. alij enim inclinationes habent ad Matheum, alij ad Musicanum, alij ad Poësum, alij ad Metaphysicam, alij ad hanc artem mechanicam, alij ad aliam. item pro temporum diuersitate & opportunitate ad diversa quoque incitantur aggredienda, ut in agricolis constat.

Quidam recentiores, vt Mercerus & Vatablus, sic exponunt, *qui in manu*, id est, per potentiam suam, qua imbre, nubes & tempestates inducit, *omnes homines signat*, id est, domi concludit, eos impediens ne possint vifere operas suas in agris. Sed 70. & nos Interpres intelligent *de manu hominis*, non *Dei*. Deinde minutum est illud, quod non possit suos vifere operarios.

Vnde accommodatius sic intelligetur: *Qui in manu omnium signat*, id est, qui per tempestates, nubes, imbre, manus omnium hominum claudit, & otiosas reddit, impediens ab operibus agriculturae & pasture. *Signare in manu* dictum est more Hebreo, pro signare & claudere manum. *Vt singuli sciati opera sua*, id est, ut singuli sibi prospiciant quid quoquis tempore agere debeant. vel ut singuli sciati, opera sua pendere a Deo: vnde 70. vertunt, *ut singuli norint infirmitatem suam*. Vide nostrum Pinedam hunc locum fuse & egregie explicantem.

Ad locum Genesis dici potest cum D. Thoma art.7. ad 1. & D. August. qq. in Genesim cap. 145. id à Iosepho ioco dictum; vel illum locutum ex vulgi opinione, qua sumimus augur habebatur. Addo, nomen *angurandi* esse generale, & extendi ad omnem diuinationem, etiam ex signis à Deo directis. Itaque Ioseph non voluit videri *angur* vel *diminus* talis quales erant alij in Ægypto, sed longè excellentior; ut qui spiritu Dei diuinaret, sicut iam ante aliquoties ostenderat; & pro tali illum habebant Ægypti.

## DVBITATIO VIII.

Quoniamque diuinitas ex somniis sit licita.

D. Thomas art.6.

**N**otandum est, *somnia posse prouenire ex quinque causis*. Primo, Ex singulari Dei *Somniis ex quinque causis*. Secundo, Ex constitutione cœli vel *causis*. Tertiò, Ex affectione corporis humani. Quartò, Ex præuiis cogitationibus. Quintò, Ex procuremente demonis. Nunc

Dico Primo, Si constet, vel probabile sit, somnum ex peculiari Dei prouidentia fusse immisum, fas est homini ex eo capere futurorum prænotionem: Deus enim illa non immittit, nisi ad aliquid significandum, quo hominem moueat vel instruat.

Potest autem id fieri duobus modis. Primò, Apprehensione verborum, quando Deus per Angelum facit ut phantasia vel sensus communis concepiat per modum auditus, & veluti alio loquente, certa verba, quibus quid fieri debeat, significatur: & simul mentem reddit certam, vel interna illustratione, vel occulto quodam gustu & experientamento,

*Dupliciter  
in somnis  
aliquid si-  
gnificatur.*